



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titvlvs XV. De Sacra Unctione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

fitas aut utilitas Ecclesie vel diocesis, non habentis idoneos ad parochialia aliaque beneficia curata; tum enim Episcopus non peccabit: imò providè ager, si ex vacantibus simul beneficiis duobus, uno simplici, sed pinguiori, alterò curatò sed tenuiori, illud minùs, hoc magis digno: aut unum vel plura beneficia simplicia vacantia minùs, sed tamen dignis conferat, digniores reservandò curatis, quæ prævidet vacatura, Sotus *cit. q. 6. art. 2. ad 2.*

70. Quartò, etiam in electione ad prælaturam, digniore præteritò, suffragium conferri in minùs, sed tamen dignum, potest, imò debet ab electore, si prævideat

suffragiò suò in digniorem collatò istam electionem non promovendam: eò videlicet in simpliciter dignum collatò, aliàs secutorum indigni electionem impediendam. Quod procedit, etiam si ad digniorem colligendum obligatus esset juramentò; quia huic tacitè inest conditio, *Si dignior eligi possit: aut, Nisi aliàs securus indigna electio non valeat impediri:* vel, *Nisi suffragium in dignum conferri magis valeat: sit Ecclesia,* cujus favorem ejusmodi juramentum spectat, *cit.* Gutierrez, Lessus, *usque n. 60.* & pluribus allegatis *Diaz p. 3. tract. 5. Miscell. resol. 110.* ubi alios hujusmodi casus refert.



## TITVLVS XV.

### De Sacra Vnctione.



Occasione Ordinationis, Sacerdotalis præsertim atque Episcopalis, in eaque adhiberi solitæ unctionis hæc Rubricæ etque subjectò textu agitur de variis Unctionibus sacris, quæ ex Divini aut Ecclesiastici Juris præscripto sunt receptæ.

#### ARTICVLVS I.

#### De Unctionibus Baptismalibus.

#### SUMMARIUM.

1. Unctio alia Externa, alia Interna est.
2. In Baptismo adhibetur triplex,

3. Oleò vel Chrismate novò, non viciò peragenda:

4. Quæ tamen de Sacramenti substantia non est.

Sacra Unctionis duas species præcipue Innocentius III. *c. Unico §. Secundo* Exteriorem &, cujus ista signum est, Interiorem. Per Exteriorem ac Materialem oleò olivarum ab Episcopo consecratò, vel sacro Chrismate et oleo & balsamo, ab eodem consecratò & benedictò, visibiliter inungitur corpus, juxta illud *Orent super eum, ungentes eum oleò in nomine Domini, Jacobi cap. 5. v. 14.* Per Interiorem ac spirituales immo- biliter inungitur anima agendò, sive producendò in ea vel augendò gratiam sanctificantem: de qua S. Joannes, *Et vultis*

unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis Epistol. 1. cap. 2. v. 27. *Et c. Unic. cit. V. De prima*, ubi Joan. Andr. n. 18. Vivianus pr. & Fagnanus n. 2. *V. Ad has. Quorum Unctionum sacer ritus ab Ecclesia variis casibus, c. unic. cit. relatis, adhibetur.*

Primò quidem in collatione Sacramenti Baptismi, *c. cit. §. Quia verò*, in qua trina unctio adhibetur. Primà, ut *sacrum Baptisma cum fide accepta custodiatur*, antequam à sacerdote Sacramentum hoc conferatur, *Ungitur illius, baptizandi, pectus de oleo Catechumenorum sanctificato cum invocatione sancte Trinitatis*, ut nulle reliquie latentis inimici in eo resideant: sed in fide sancte Trinitatis mens ejus confortetur, textus est *can. Deinde 70. pr. disp. 4. de Consec. §. cit.* Alterà ungitur inter scapulas *De eodem Catechumenorum oleo; ut undique muniat* *Et ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur, pr. cit. V. Ungitur §. cit.* Tertià post Baptismum susceptum extra casum necessitatis recenti, hoc est, eodem annò in Cœna Domini consecratò sacrò Chrismate, *can. Si quis in alio 122. disp. cit.* in vertice adhibetur, *§. cit.* & significat, baptizatum ab eo die Christo capiti tanquam membrum esse conjunctum & Christianum; Christianus enim à Christo: Christus autem à Chrismate, sive istius unctione sic appellatur, *§. cit. in fine*, Catechismus Roman. p. 2. num. 57.

Dubium est de istius Chrismaticæ unctionis necessitate: cui ansam præbet; quòd eam omittentis temeritas vergere in damnationem, *can. Si quis cit.* & depositionis poenæ obnoxia esse, asseratur à Glossa *fin. in c. Quoniam 19. de Sent. excom. in 6.* illam conferente cum unctione chrismatica, adhibenda in Confirmatione: quam de istius Sacramenti sub-

stantia esse, Orthodoxorum DD. unanimis est sensus.

Sed, sicut hanc, sic etiam Baptismalem illam unctionem Sacramenti necessitate adhiberi, *can. cit.* textus & Glossa *cit.* non evincunt; quia imprimis ab hac & illo, non tam verticalem unctionem in Baptismo omittentium, quàm in illo vetus Chrisma extra mortis præoccupantis periculum adhibentium temeritas taxatur; quòd veteris usus adversetur priscis moribus & sanctionibus Ecclesiæ, Olea vetera & vetus Chrisma novò Sabbathi sancti aliòve igne comburi, & in die Cœnæ Domini sanctificatis oleis & confectò novò Chrismate sacras illas unctiones peragi, præcipientis, *can. Literis 18. disp. 3. de Consec. §. can. Si quis cit.* Quò tamen non obstante, in Germaniæ diocesium ampliorù locis, ab Ecclesiis Cathedralibus remotis, unò alteròve aut tertio die post Cœnam Domini vetera Olea & Chrisma adhiberi consuevisse, notat, eumque morem non improbat Gobat *Experient. Theolog. tract. 2. n. 511.* licet, cum mora periculò vacat, Baptismum differri malit, eumque sine unctionibus, omissis vel potius, donec asserantur nova, dilatis, ministrari, consulat Marchant. *Pastoral. resol. tract. 2. de Sacram. cap. 2. n. 3.* Deinde; quia urgente necessitatis casu Baptismus sine Chrismatica & aliis unctionibus ab ipsis etiam laicis valide confertur, *§. Illud post can. Subdiaconus 24. q. 1. can. Constat 19. can. In necessitate 22. can. A quodam 24. disp. cit. Et c. 1.* junctà Glossà *V. A quocunque, de Summa Trinit.* Demum; quia Glossa *cit.* unctionem Chrismaticam Baptismalem illi, quæ in Confirmatione adhibetur, non confert quoad ipsius Sacramenti, sed quoad præcepti duntaxat Ecclesiastici, recens expolcentis, necessitatem, & quoad confessionem, Interdicti tempore permissam,

Quare

Quare in Baptismo, sicut sacro Oleo in pectore & scapulis peragendam, sic etiam Chrismaticam & verticalem baptizandi unctionem, licet Ecclesie antiquissimus ab eaque præceptus sacer ritus sit, ad Sacramenti tamen substantiam non pertinere, unanimes & certa TT. sententia est; quòd, ejus ritum Sacramenti substantialem esse, neque ex Divina institutione, neque ex definitione traditioneque Ecclesie habeatur: eaque fortassis ratio sit; cur non ab Episcopo tantum, sed à simplici quoque Sacerdote valeat ministrari, *can. Presbyteris 119. dist. cit. Suarez in 3. p. disp. 31. in Comment. art. 3.*

## ARTICULUS II.

## De unctione Chrismatica in baptizatorum Confirmatione,

## SUMMARIUM.

5. *Natura & effectus Sacramenti Confirmationis,*
6. *A Christo Domino post Resurrectionem instituti,*
7. *Ejus materia Remota est Chrisma, benedictum ab Episcopo,*
8. *Confectum ex oleo olivarum: cui balsamum,*
9. *Præcepti tamen solius necessitate, admiscetur.*
10. *Graci oleo & balsamo alia aromata permiscetur,*
11. *Isque Sacramentum Confirmationis verisimiliter validè administrant.*
12. *Confirmationem Chrismatis simplici Sacerdoti committi posse, assertivum,*
13. *Et negantium fundamenta:*

14. *Edque de re sensus Auctorit.*
15. *Materia Proxima est Chrisma in fronte unctio.*
16. *Forma, Signo te Signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.*
17. *Que verba non omnia exiguntur ad valorem Sacramenti.*
18. *Subiectum est homo viator, baptizatus, nondum confirmatus.*
19. *Hodie ministrari non solet ante usum rationis:*
20. *Qui, cum speratur, expellendus est in amentibus.*
21. *Moribundis Confirmatio deneganda non est.*
22. *Ejus Minister Ordinarius est solus Episcopus:*
23. *Extraordinarius ex commissione. Pepe etiam simplex Sacerdos.*
24. *Episcopus eam per se in sua ratione diocesi, & suis:*
25. *Non alieni subditis, nisi ex licentia præsumpta, ministrat.*
26. *Confirmationis recipienda præceptum non extat.*
27. *Episcopi tamen eam ex obligatione subditis suis,*
28. *Chrismate eò anno benedictò,*
29. *In statu gratia: non tamen missarum jejuni ministrant.*

Secundò sacra unctio adhibetur in Chrismatione frontis baptizatorum: *Qua manus impositione designat, & alio nomine dicitur Confirmatio; quia per eam Spiritus Sanctus datur ad augmentum & robur, verba sunt Innocentii III. c. Unctio. §. Per frontis; est enim Confirmatio novæ Legis Sacramentum, quò baptizatus spiritualis gratiæ augmentum & robur confertur per Chrismatis in fronte unctionem, ad Christianam fidem fortiter palamque proficit.*

profitendam; effectus enim hujus Sacramenti, præter Characterem, quem suscipientis animæ indelebilem imprimit, secundum Concilium Florent. in *Decreto Fidei* §. *Secundum* & Trident. *Sess. 7. can. 9. de Sacram.* est augmentum & corroboratio gratiæ acceptæ in Baptismo, cum speciali auxilio ad bene operandum & Christi fidem, si opus fuerit, liberè, fortiter, constanter palamque profitendam, *can. 1. can. Spiritus sanctus 2. dist. 5. de Consec. S. Thomas 3. p. q. 72. art. 1. & 8. Suarez 3. p. disp. 34. f. 2. in pr. & Palao Tract. 20. disp. unic. p. 4. n. 1. & 2.*

Institutum hoc Sacramentum à Christo Domino, liquet ex Trident. *Sess. 7. cit.* Novæ legis Sacramenta omnia à JESU Christo Domino nostro instituta, definiunt, *can. 1. de Sacram.* Quod, licet in ultima Cena factum, doctrina Fabiani Papæ *Epistol. 2. cap. 1. ad Orientales*, à TT. passim recepta sit, ejus tamen usus & administratio ante Ascensionem nulla fuit; quia, ut rectè S. Thomas *art. 1. cit.* ait, in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat ante Resurrectionem & Ascensionem, juxta Evangelicum illud, *Nondum erat Spiritus sanctus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus* Joan. *cap. 7. v. 39.* & verba ipsius Servatoris, *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*, Joan. *cap. 16. v. 7.*

Materia Sacramenti Confirmationis Remota est Chrisma, ex definitione Concilii Florent. §. *Secundum cit.* & Trident. *Sess. cit. can. 2. de Confirmat.* confectum ex oleo, balsamo mixto, §. *cit.* & Constitut. Apostol. S. Clementis *Lib. 7. cap. 44.* & Concil. Bracharense III. *can. 4.* & ab Episcopo benedictum, ut constat ex §. *cit.* & generali Ecclesiæ usu sensuque SS. PP. & Conciliorum, Chrismatum consecrationem seu benedictionem mirè exaggerantium, idque *Chrisma Sa-*

*crum Sanctumque Sacrosanctum & Celeste, oleum Divinum, Sacratissimum ac Deificum unguentum* nominantium, apud *cit.* Suarez *f. 2. §. In hac re & Laiman Lib. 5. tract. 3. cap. 2. n. 1. §. Accedit.*

Licet autem balsamum quodcumque, & Indicum quoque sufficiat; quod hoc, etsi colore differat, verum tamen balsamum non minùs sit, quàm Palæstinum & Syriacum; eandemque cum isto boni odoris fragrantiam, eosdemque habeat effectus. Non tamen sufficit oleum quodcumque, v.g. ex lino vel nucibus expressum, sed necessarium est oleum olivarum; quòd hoc solum veri ac propriè accepti Olei nomine significetur, & ab universa Ecclesia intelligatur, *cit.* Suarez *disp. 33. f. 1. conclus. 3.* & Palao *p. 2. n. 3.* Ubi

Dubium est primò, an admixtio balsami pertineat ad essentiam hujus Sacramenti. Affirmant, & ad Confirmationis substantiam, tanquam partialem materiam Remotam, balsamum quoque pertinere, docent *cit.* Suarez *f. 1. Laiman cap. 2. n. 1. Bonacina disp. 3. de Sacram. q. unic. p. 3.* & alii, id desumentes ex Concil. Florent. §. *cit.* ubi Eugenius Papa, *Secundum*, inquit, *Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientie, & balsamo quod odorem significat fama, per Episcopum benedictum*: quibus verbis balsamum non minùs quàm oleum hujus Sacramenti materiam esse, in Oecumonica Synodo Eugenius docuit: quod Ecclesiæ Traditione & usu, teste Fabiano *cap. 1. cit.* ab ipsorum Apostolorum tempore receptò, confirmatur.

Sed verisimilius, solius Præcepti, non Sacramenti necessitate balsamum admisceri, & Confirmationem oleò olivarum sine balsami admixtione adhibito validè conferri, cum Cajetano *3. p. q. 72. art. 2.* existimant Navarrus *Manual. cap. 22. n.*

R r r

§. Sotus

§. Sotus *in 4. dist. 7. q. 1. art. 2. Valentia Tom. 4. disp. 5. q. 1. p. 2. §. Quæstio est autem & alii relati à Barboia de Offic. Episc. alleg. 31. n. 5.* Moventur partim auctoritate SS. Cypriani *Epistol. 70. Basilii de Spiritu sancto Epistol. 27. Augustini Lib. 5. de Baptismo cap. 20. & PP. aliorum, Chrisma vocantur Oleum benedictum, sine balsami mentione, non obsecuro indicio, illò duntaxat essentialiter constitui Chrisma. Partim & præcipue, decisione Innocentii III. Confirmationem in eo, qui non Chrismate, sed Oleo tantum delinitus fuit, non iterandam; sed solummodo id, quod incaute omisissum est, cautè supplendum, rescribentis, c. 1. de Sacram. non iter. quæ decisio aperte supponit, balsamum non ipsius Sacramenti, sed Præcepti duntaxat necessitate adhibendum, & ad Confirmationis Sacramenti substantiam non pertinere; cum, si quid substantiale prætermisissum sit, non id duntaxat, quod omisissum est, supplendum; sed ipsum Sacramentum sit iterandum; & quod antè nulliter collatum est, propter ipsam prioris collationis nullitatem, verè ac propriè iterari non intelligatur, can. Solemnitates 16. dist. 1. de Consec. c. 1. & c. fin. de Presbyt. non baptiz. Sylvester V. Ordo 2. n. 10. pr. Rufella V. Ordo 1. n. 15. Angel. V. Ordo 2. n. 7. Sanchez Lib. 7. Consil. cap. 1. dub. 13. n. 1. & alii TT. & ex Canonistis Vivianus in c. 1. & c. fin. de Sacram. non iter. Fagnanus in c. fin. cit. n. 11. & Gonzalez *ibid. n. 8.**

Neque adversatur decretum Eugenii; quia Papa iste §. cit. Confirmationis materiam assignandò non id solum, quod ex institutione divina de Sacramenti: sed id etiam, quod de Præcepti Ecclesiastici necessitate adhibendum est, recenset, sicut §. Tertium Eucharistiæ vinum de vite cum modicissima aquæ admixtio-

ne, & §. Quartum, Penitentia Sacramenti materiam etiam Satisfactionem esse ait, non; quòd ista & aqua ad Sacramentorum illorum substantiam pertineant; sed, quòd ex Ecclesiæ præscripto usque antiquissimo adhibenda sunt, licet ea de Sacramentorum substantia non essent exploratum, Gonzalez in c. fin. cit. num. 11.

Dubium secundò est de valore Chriftimatis, quò utitur Ecclesia Orientalis inter Græcorum, in illius confessione oleo & balsamo duodenas, secundum antiqua, & secundum recentiora Euchologia, triginta tres diversorum aromatum species admiscuentium, iisque, in massam non liquidam, sed mollem decoctis, inungentium frontes confirmandorum: de cuiusmodi materia valore dubitandi ratio oritur ex Decreto Eugenii §. Secundam cit. Confirmationis materiam esse asserentis Chriftima, ex oleo & balsamo confectum, à quodot aromatum admixtione & concoctione confecta massa morali specie videtur differre.

Sed, ut hoc ita videatur, eam tamen massam verum & ad Confirmationis Sacramentum validè administrandum, sufficiens Chriftima esse, suadet imprimis auctoritas Dionysii Areopagita, qui Lib. de Hierch. Eccles. loquens de Chriftima, Unguenti id constituentis confessionem esse, ait, collectionem quandam sacrorum spirantium materiarum, que in se magnam vim Scopiam fragrantium qualitatum contineat: quibus verbis Chriftima ex oleo, non soli balsamo, sed pluribus aliis aromatis, magnam vim Scopiam fragrantium qualitatum continetur, mixto constare, perspicue indicatur. Deinde tolerantia & tacita quædam approbatio Ecclesiæ Occidentalis; quòd etiam Concilii Florentini PP. neque summi Pontifices, præsertim Innocentius IV. Constitutio

Constitutione de ritibus Græcorum observandis, Clemens VIII. in Instructione pro Græcis - Catholicis edita à Card. de Lugo allegati *Lib. 1. Respons. dub. 3. n. 3.* & ante Clementem Gregorius XIII. in Respon. ad Consulta Patriarchæ Maronitarum, in Synodo ab his 1579. celebrata publicatis & relatis à Pignatell. *Tom. 6. consult. 41. à n. 55.* Confirmationis materia Græcorum usu receptæ quidquam opposuerint; licet multa circa Sacramentorum & ipsius Confirmationis ritus ab illis usurpatos decreverint & corrigenda iudicarent; non obscurò argumentò, in Confirmationis materia substantialem defectum & errorem agnitum non fuisse. Demum ratio; quia ad spirituales effectus, ad quos specialis gratia in Confirmatione confertur, significandis non minus aromaticæ species aliæ cum balsamò, quàm hoc solum oleo admixtum conducit; cum istius Sacramenti Unctione specialis gratia detur ad significandū nitorem conscientiæ & odorè bonæ famæ, *c. Unic. cit. §. Ad exhibendum & Concil. Florent. §. Secundum cit.* Sicut autem per oleum nitor conscientiæ vitæque candor, sic bonæ famæ & sanctitatis odor non minus per alias species aromaticas simul cum balsamò, quàm per hoc solum oleo admixtum significatur.

Tria hæc argumenta, Græcorum Chrismate confirmationis Sacramentum validè administrari, verisimiliter persuadent, saltem si in massa illa olei qualitates & balsami odor prævaleant aut perseverent: & ante ejus usum non invaluit Schisma Orientale, Gobat *Experient. Tract. 2. n. 745.*

22. Dubium tertium est, an sacri Chrismatis confectio & benedictio committi valeat simplici Sacerdoti. Et ab Episcopo quidem illas huic committi non posse, concors est sententia TT.

A summo Pontifice autem, illas huic committi posse, sustinent Cajetanus *3. p. q. 72. art. 2.* Victoria *in Summa de Confirmatione §. 43.* Gobat *l. cit. in fine & nonnulli alii*, ducti auctoritate Concil. Toletani *I. can. 2.* Chrismatis confectio nem & benedictionem, in quibusdam locis peractam à Sacerdotibus simplicibus, his in posterum inhihentis; quin ut, si benedictio fuisset irrita, oportuisset, illam declararet invalidam, & ab illis benedicti Chrismatis usum inhiberet. Rationem reddunt; quòd, ut *n. 23.* statuetur, Apostolica auctoritate simplici Sacerdoti committi valeat, ipsa Chrismatio five administratio Sacramenti Confirmationis. Cur non etiam prævia confectio Chrismatis, necessarii ad illius validam administrationem; cum, concessa aliquâ potestate, concessa intelligantur ea, quæ illius exercitium requirit, *arg. c. Præterea §. de Offic. deleg. §. 1. Ad rem 56. ff. de Procurat.*

Multò frequentiori DD. calculò <sup>13.</sup> confectio nem & benedictionem illam simplici Sacerdoti, etiam Apostolica auctoritate committi posse, alii TT. negant apud *cit. Barbosam alleg. 30. n. 6.* eâ per moti ratione; quòd *Materia Confirmationis sit Chrisma confectum ex oleo & balsamo ab Episcopo benedictum*, verba sunt Concil. Florent. *§. Secundum cit.* ut ad eò materiam hujus Sacramenti Remotam constituat ipsa benedictio Episcopalis. Cum ergo Sacramenti materiam mutari à Papa non posse, dogma sit S. Synodi Tridentinæ, Ecclesiæ *in Sacramentorum dispensatione* statuendi potestatem non nisi *Salvâ illorum substantiâ* adstruentis *Sess. 21. de Commun. cap. 2.* benedictioni Episcopali subrogari à Papa non poterit Sacerdotalis; quòd istius subrogatione Sacramenti substantiam constituens Materia mutaretur. Cui argumento non

R r 2 parum

parum roboris addit; quòd, teste Fabiano *Epist. 2. cit.* Christus Apostolos docuerit modum conficiendi Chrisma, quem Ecclesia semper servavit, & Chrismatis benedictionem simplici Sacerdoti commisisse nescitur: licet huic aliquando commiserit ipsam Chrismationem, ut advertunt PP. Florentini §. *cit.* & docemur exemplo Gregorii XIII. qui Sacerdotibus Societatis JESU in Indiis Sacramentum Confirmationis Chrismate *ab Episcopo benedicto* administrandi potestatem concessisse perhibetur, apud *cit.* Suarez *f. 2. ad finem.*

14. Sed, re accuratius ponderatâ, in utramque partem deductâ ratio non nihil vacillat. Prior; quia ex ea, Chrismatis consecutionem simplici Sacerdoti, seclusâ autoritate Apostolicâ competere, inferri potest; cum hâc seclusâ ipsam unctionem Chrismaticam in Baptismo ei competere, liqueat ex dictis *n. 2.* Posterior; quia à Concilio Florentino non ea solùm, quæ Confirmatio Sacramenti, sed etiam quæ Præcepti necessitate exposcit, referri dictum est *n. 9.* Unde licet propter *can. 2. cit.* & quòd contrarium Jure decisum non reperiatur, ipsam etiam Chrismatis consecutionem simplici Sacerdoti committi posse, probabilitate non carere, censeam cum *cit.* Suarez §. *Tertia* & Barbosa *alleg. 31. n. 14.* in re tamen non minùs ardua quàm ambigua judicium meum suspendere & Apostolicum humiliter expectare, quàm certi aliquid statuere, malo cum Reginaldo *Prax. Fori Panit. Lib. 2. §. cap. 2. n. 8.*

15. Materia Proxima Confirmationis est unctio Chrismatis in fronte Episcopi manu facta in Crucis figuram, ut iterum constat ex §. *Secundum* & §. *Per frontis* *cit.* atque ex Traditione usuque perpetuo Ecclesiæ, in istius Sacramenti administratione adhibentis verba, *Signo te signo Cru-*

*cis & confirmo te Chrismate salutis &c.* *cit. can. Presbyteris 120. & disp. 4. can. Nunquid 10. disp. 5. utrobique de Consecra-* quam in fronte unctionem ad hujus Sacramenti essentiam pertinere, cum S. Thoma *q. cit. art. 9. docent cit.* Suarez *disp. 33. f. 3. Laiman cit. tract. 3. cap. 2. n. 1. & Palao disp. cit. p. & n. 3.* Licet autem eam in fronte unctionem de necessitate Sacramenti confirmantis manu faciendâ, communis DD. sensus sit, ad eam tamen dextræ manûs, ut solet, pollicem ex Ecclesiæ duntaxat præscripto adhiberi, cum DD. *cit.* censent Filiucius *Tract. 3. n. 7. & cit. Gobat tract. 2. n. 747.*

Forma hujus Sacramenti est, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen,* ut ex §. *Secundum* *cit.* & Ecclesiæ usu constat. Unde

Dubium oritur, an hæc verba omnia formam essentialiter constituant, hæc de Sacramenti Confirmationis necessitate. Ratio dubitandi gravissima est, quod ea omnia essentialia esse, neque ex Sacra literis, neque ex Ecclesiæ Traditione & Universali usu satis constat; cum Sacra literis non expressa: Apostoli autem Spiritum Sanctum manûs impositione, vel sola, vel cum unctione Chrismatis consecutâ, communicârint, Actor. *cap. 8. v. 17. & cap. 19. v. 6.* demum in Libro, cuius Titulus est *Ordo Romanus* in Officio Sacerdotii sancti, solummodo referuntur verba, *Confirmo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ab Orientalibus solum adhibentur verba, *Sancto autem Chrismate inungentes & frontem & connumeramus dicimus, Signaculum Spiritus sancti,* quæ ex Synodi Generalis VI. *can. 91.* deprompta in omnibus Ecclesiis Orientalibus pro Confirmationis Forma usitata fuisse, & quatuor postremis verbis Formam comprehendi: eamque in omnibus Græcorum



Græcorum Euchologiis & Ritualibus referri, notant Gonet *disp. 6. de Confirmat. n. 50.* & Illung *Theolog. Pract. tract. 6. disp. 1. n. 7.* & *disp. 3. n. 41.* Unde DD. isti Latinam Confirmationis Formam, quoad expressionem SS. Trinitatis & actionum materialium, de sola Præcepti: de Sacramenti autem necessitate esse, ajunt, verba significantia effectum Confirmationis, determinandum ac restringendum per actiones externas, sive donum Spiritus Sancti & robur ad Christi fidem tuendam fortiter palamque confitendam, ut apud Latinos sunt verba, *Confirmo te Chrismate salutis*, apud Græcos, *Signaculum domini Spiritus Sancti.*

18. Subjectum Confirmationis est omnis homo viator, nondum confirmatus, *can. 1. Ec. disp. 5. de Consec.* cum, sicut Naturæ, ex utero genitos adolefcere & roborari: sic & supernaturalis Gratiæ auctor Deus, & ministerialiter Ecclesia, Baptismi lavacrò regeneratos ad perfectionem gratiæ pervenire, velit per Confirmationem, *Ut pleni Christiani inventiantur*, ut ait Urbanus Papa *can. cit.*

Quantumvis autem antiquò Ecclesiæ usu Confirmatio statim cum Baptismo indiscriminatim omnibus collata sit, teste Tertulliano *Lib. de Baptismo cap. 7. & 8.* & Baronio *ad annum Christi 371.* cum tempore tamen ab usu illo recessum, & plerarumque Ecclesiarum consuetudine Sacramenti istius collatio dilata est usque ad rationis usum, qui septimò ætatis annò completò regulariter adesse solet, *1. In sponsalibus 14. ff. de Sponsal.*

19. Ultra quam proinde ætatem illam non facile differendam: eamque, nisi rationis usus manifestè antevertat, vel mortis periculum aliave rationabilis causa vel loci consuetudo aliud exposcat, plerumque expectandam, cum Sylvestro V. *Confirmatio n. 4. cit. Suarez disp. 35. f. 2.*

Laiman *n. 2.* & aliis censet *cit. Palao disp. cit. p. 7. n. 4.* ut decentius ac fructuosius suscipiatur & removeatur periculum iterationis: quæ facilius contingit, si infantibus ministraretur; quòd hi non recordentur susceptionis: & ex cohabitatione inter fideles Confirmatio non præsumatur, sicut præsumitur Baptismus: atque insuper confirmatorum nomina non ita accuratè, ut baptizatorum, adnotentur ac detegantur.

In amentibus etiam rationis usum, si ejus spes sit, expectandum: & si amentia perpetua judicetur, eorum Confirmationem non omittendam, cum *cit. S. Thoma art. 8. ad 2. Suarez f. 2. Laiman cap. 5. n. 3. & Barbosa n. 21.* idem docet *n. 7.* quòd capaces sint augmenti gratiæ receptæ in Baptismo: quæ hujus sacramenti præcipuus est effectus, & ab accidentaria incapacitate specialis auxilii ad fidem palam confitendam non impeditur.

Ob eandem rationem Sacramentum hoc etiam moribundis perentibus, si commodè valeat, ministrandum, cum S. Thoma *cit. art. 8. ad 4.* iidem docent, non obstante *can. Spiritus Sanctus cit.* quòd licet, ut hòc locò Melchisedes Papa ait, Confirmationis auxilia continuo transituris necessaria non sint, convenientia tamen ipsis quoque: & si rationis usum habeant, adversus inimici insidias profutura sint, ad faciliorem beatitudinis consecutionem. Capitali etiam judiciò damnatorum, Sacramentò hòc ad agonem confirmatorum, exempla Hispanica refert, unaque id Germaniæ moribus non receptum, testatur *cit. Gobat n. 756.*

Minister hujus Sacramenti Ordinarius est solus Episcopus, *can. Presbyteria, §. Per frontia cit. c. Quando 4. de Consuetud. Concil. Florent. §. Secundum*

R r r 3 cit. &

cit. & Trident. *Seff. 7.* cujus de Confirmatione, *can. III.* est, *Si quis dixerit Sacramenti Confirmationis Ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit, Seff. 23.* cujus *cap. 4.* proprium Episcoporum munus dicitur Confirmationis ministratio, & *can. 7.* anathemati subjiciuntur asserentes, confirmandi potestatem esse Episcopis & Presbyteris communem. Oecumenicis definitionibus facem prætulit sacra Litera, quibus Spiritus sanctus per impositionem manûs baptizatis communicatus à solis Apostolis perhibetur, *Actor. cap. 8. V. 19. & cap. 19. V. 6.* Quare Sacramentum hoc neque ab Abbate, etiam in certum populum & territorium jurisdictionem obtinente, qui tamen consecratus Episcopus non sit: neque ab alio Sacerdote simplici valide ministrari sine Apostolico privilegio vel delegatione posse, Orthodoxorum DD. certa sententia,

23. Dubium autem est, an Confirmationis ministratio ei competere valeat hujusmodi privilegio vel delegatione; hoc enim etiam cum nonnullis aliis DD. negat Durandus in *4. dist. 7. q. 14.* idque suadet primò; quòd à Christo Domino Episcoporum & Presbyterorum gradus & actus sint distincti, ut patet ex Tridentino, duos hos majorum ac minorum Sacerdotum gradus ex Divina institutione distinctos, comprobante *Seff. 23. cap. 4. & can. 7.* definiente: ea autem, quæ à Christo Domino ejusque institutione certo Ordini reservata sunt, alii committi etiam à Papa non possint, *can. Sunt quidam 25. q. 1.* Secundo; quòd ex istius etiam commissione simplici Sacerdoti committi nequeat potestas conficiendi sacrum Chrisma, Ergo nec potestas confirmandi, cum ex hac illa inferatur; quia concessò aliquò concessa

etiam censentur ad illud requisita, ut Regula *c. Præerea & l. Ad rem cit.* et proinde, sicut Chrismatis confectio, sic ejus ministratio sive confirmatio competere non valeat simplici Sacerdoti Tertio; quia potestas confirmandi huic competere nequit ullà Consuetudine, *Quandò cit.* Ergo neque privilegio vel commissione Apostolicà; cum, quæcumque istis, etiam illà, saltem si immemorialis sit, competere possint, *arg. c. Imper 26. pr. V. Præerea de V. S. & l. Hæc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quodid. & ali.*

At licet, sicut cæteras Ordini Episcopali reservatas, sic etiam confirmandi potestatem simplici Sacerdoti committi ab Episcopo non posse, facile concedam, propter claram & generalem definitionem *c. Aqua 9. de Consecrat. Eccl.* ex summi tamen Pontificis commissione vel privilegio, sicut alias Ordini Episcopali Jure solum Ecclesiastico reservata sic & confirmandi facultatem simplici Sacerdoti concedi posse, censeo cum *cit. Thoma q. 72. cit. art. 11. Navarri Manual. cap. 22. n. 8. Covarruv. Lib. 1. n. 1. cap. 10. à n. 7. cit. Suarez disp. 36. f. 4.* & aliis, magnò numero congestis à Barbosa *cit. alleg. 30. n. 4. & Pignatell. Tom. 6. consult. 11. n. 3. & §.* id defensionibus ex rescripto Gregorii I. seu M. *can. Pervenit. 1. dist. 95.* concedentis; ut, ubi Episcopi defunt, etiam Presbyter; in fratribus baptizatos Chrismate tangant, Consonat Concilium Florent. *§. cit.* inserere testificans, per sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili & urgente causa Sacramentum Confirmationis simplicem sacerdotem ministrasse; & Tridentinum, quod *can. 3. cit.* hujus Sacramenti ministrum Ordinarium solum Episcopum esse docendò, non obicit in sinuat, Sacerdotem, qui Episcopus non est, *Extraordinarium* ejus ministrum esse, *lib.*

se, saltem Apostolicâ commissione & privilegiò posse, ut probè advertit Fagnan. in *c. Unct. §. Per frontis cit. n. 3.* Accedit praxis Ecclesiæ; ejusmodi enim privilegium Abbati S. Facundi Ord. S. Benedicti, idem *n. 1.* & FF. Minoribus nostræque Societatis presbyteris, apud Indos commemorantibus, à sede Apostolica indultum, Henriquez *Lib. 9. cap. 27. §. 6.* junct *Lit. H.* & alii testantur apud *citt. Barbola n. 5.* & Pignat. *n. 4.*

Neque contrarium persuadet adversæ partis argumentum primum; quia, licet Episcoporum & Presbyterorum gradus distincti sint institutione divina, istâ tamen distincta non sunt omnia ipsorum ministeria: & Episcopis quædam specialiter attributa sunt determinatione Ecclesiæ; à qua his attributa, justâ causa potestate, communicari presbyteris possunt, Barbola in *can. Pervenit cit. n. 3.* Non majorem vim habet alterum; quia imprimis confirmandi potestatem simplici sacerdoti delegari posse, perspicuè docet sensus & usus Ecclesiæ: ex quorum neutro Chrismatis conficiendi potestatem ei committi posse, perspicuè constat, ut liquet ex dictis *n. 14.* Deinde; quia etiam hanc illi committi posse, sustinent graves DD. secuti Cajetanum juxta dicta *n. 12.* Demum; quia ex *c. §. l. cit.* desumpto argumento locus duntaxat est in subordinatis eidem potestati: cujusmodi secundum multos DD. duæ illæ confirmandi & Chrisma conficiendi potestates non sunt; quòd hæc secundum DD. istos divinâ; illa verò Ecclesiasticâ solum determinatione Episcopis sit attributa. Minus urget postremum; quia privilegio non æquiparatur consuetudo & præscriptio, etiam immemorialis, quando hæc reprobata est à Jure, & in his, quæ non nisi summi Principis delegatione competere possunt, ut aliis DD.

relatis advertit *citt. Covarruv. n. 14.* Consuetudo autem, simplicibus sacerdotibus Chrismatione seu Confirmationis administrationem permittens, reprobata à Jure, *c. Quanto cit.* & de re est, quæ non nisi summi Pontificis commissione ipsis competere potest, *c. Aqua cit.*

Ipsi etiam Episcopi, sicut Pontificales actus alios exercere, sic etiam Confirmationis Sacramentum subditis suis administrare nequeunt extra propriam suam diocesim: & si id sine expressâ proprii licentia in aliena diocesi administrant, peccant mortaliter, & à Pontificalium exercitio suspensionem incurunt, ex decreto Trident. *Sess. 6. cap. 5. de Reformat. & Congregat. Card. Interpp. declaratione apud Saà V. Confirmatio n. 3.* & *citt. Barbola alleg. 30. n. 15.*

Quamvis autem in propria etiam *25.* diocesi suos tantum subditos confirmare Episcopus de Jure possit; quòd de Jure hi tantum subditi sint ejus jurisdictioni, necessaria ad cujuslibet Sacramenti licitam administrationem, Sylvester *V. cit. n. 2.* & *citt. Suarez disp. 38. s. 2. in fine,* ex præsumpta tamen voluntate Episcopi proprii alienos licitè confirmat non solum, quando exhibitis literis Dimissoriis à proprio acceptis Ordines sibi conferri petunt; quòd, diocesanum suum quoad susceptionem Ordinum subiciens alieno, huic licentiam dare intelligatur ei ministrandi Confirmationem, Ordinum collationi præmittendam, ex decreto Trident. *Sess. 23. cap. 4. de Reformat.* Sed etiam quando ad ipsum, suos confirmandum in propria, confluunt subditi diocesium vicinarum; quòd id moribus receptum, & ratum gratumque videatur propriis ipsorum Ordinariis, oves suas maximæ utilitatis Sacramento privare nolentibus,

lentibus, quando id, ipsis non ministrantibus, à vicino Episcopo recipere eommodè possunt, *citt. Saà n. 2. Laiman cap. 6. n. 3. Palao p. 9. n. 7. & Barbosa n. 14.*

26. Dubium est de Confirmationis recipiendæ obligatione: quam fidelibus impositam, aliqui asserunt cum Sylvestro *citt. n. 2.* quòd, *Quamvis continuò transituris regenerationis seu Baptismi beneficia sufficiant, victuris tamen Confirmationis auxilia necessaria sint:* & his primùm acceptis Pleni seu perfecti Christiani inveniri dicantur, *can. 1. & can. Spiritus Sanctus citt.* Verius tamen alii, ejus suscipiendæ obligationem per se dari, negant; quòd hanc neque Divinò neque Ecclesiasticò præceptò impositam constet; cùm plenum ac perfectum Christianum Confirmatio non faciat quoad substantiam: sed quoad abundantiam duntaxat & perfectionem gratiæ, quoad substantiam jam receptæ in Baptismo: ex qua causa Confirmatio etiam victuris, non simpliciter & absolute, sed tantùm secundùm quid necessaria, hoc est, conveniens valde est ad gratiæ incrementum & perfectionem consequendam, ut cum D. Thoma *citt. art. 8. ad 4.* advertunt Panormit. *in c. Quanto cit. n. 4. citt. Suarez f. 2. §. Quocirca & Laiman n. 4. Per se,* inquam; quia culpâ utique non vacat hujus Sacramenti omisio ex contemptu & vilipensione: uti & facta ab eo, qui, illò non receptò Fidei aut Charitatis amittendæ periculum sibi imminere, firmiter credit, *citt. Palao p. 8. n. 6.*
27. Episcopum verò, ad Sacramentum hoc in sua diocesi per se vel alium Episcopum ministrandum, obligari: & si ejus ministratorem longo tempore omitat, graviter peccaturum, idem Doctor *n. 13. censet cum citt. Suarez disp. 38. f. 2. Laiman n. 2. & Barbosa n. 19.* quòd

ea ommissione & diuturnâ dilatione cura suâ Pastoralis commissas oves magnò fructu Spirituali, atque ad Fidem & Charitatem conservandam aptissimò remediò privet.

Quando autem id ministrat, ex Ecclesiæ præscripto Primò uti, lectura necessitate, debet Chrismate eò anno confectò, *can. Si quis 122. disp. 4. de Consec.* ideo enim, veterè crematò, Chriasmatis confectio singulis annis in Cœna Domini innovanda est, *can. Læteris 18. disp. 3. de Consec. & c. Quoniam 19. de Sent. excom. in 6. & c. si Episcopus absens, vel ejus Sedes vacans sit, vicinus Episcopus pro ejus confectioe advocandus aut adjuvandus est, ab eoque benedictum novum Chrisma petendum, Glosia in c. Si Episcopus 3. V. Spiritibus de Suppl. neglig. in 6. Ugolinus de Potest. Episc. cap. 27. §. 6. n. 2. & Barbosa *citt. alleg. 31. n. 19.* Secundò, debet in statu gratiæ; quòd in peccato mortali Sacramentum quodcumque administrans graviter peccet, ex recepta doctrina S. Augustini, *can. Omnis 1. q. 1. relati & S. Thomæ q. 64. art. 4. §. 1.* Jejunium eidem, & suscipientibus quoque, præscriptum est à Concilio Avellanian. III. *can. Ut jejuni 6. & Meldani can. Ut Episcopi 7. cit. disp. 4. relati.* Sed istorum particularia seu Præcepta seu Consilia generali Ecclesiæ usu recepta non sunt; & in Germania nostra Sacramentum hoc læpe post prandium, non jejunis & non jejunis ministrari, notant *citt. Laiman cap. 5. n. 3. & Gobat n. 769.* Tertio observandæ ab eo sunt ceremoniæ, præscriptæ in Pontificali, de quibus lætè *citt. Suarez disp. 37. f. 1. & adhibendæ patrini: de quibus occasione Cognationis spiritualis, inter eos & confirmatos intercedentis, agitur Lib. 4. tit. 11. art. 1.**

## ARTICULUS. III.

## De Unctione Sacerdotali &amp; Episcopali.

## SUMMARIUM.

30. Presbyteri Oleo sacro inunguntur in Ordinatione :
31. Cujus due partiales Materia ac Forma ,
32. Talisque Materia est Manuum Episcopaliū impositio.
33. Episcopi sacro Chrismate inunguntur in consecratione :
34. Quam unctionem aliqui substantialem :
35. Alii melius ceremoniam accidentalem esse, docent ,
36. Et persuadent Ecclesie Praxi ,
37. Sacrarum Literarum & Conciliorū autoritate ,
38. Et ratione ;
39. Prasertim , si cum opposita sententia fundamentis conferatur.

30. Tertio in Ordinatione Presbyteri unctio adhibetur, *e. Unic. §. Ad exhibendum*, quā illius manus, non Chrismate, sed oleo Catechumenorum ab Episcopo deliniuntur, secundum Pontificale Roman. *Tir. de Ordinat. Presbyt.* Eam tamen, licet antiquissima Ecclesie ceremonia sit, ad Samenti substantiam non pertinere, tradunt Laiman *Lib. 5. tract. 9. cap. 12. n. 4.* Gobat *Experient. tract. 8. n. 128.* & alii, Ordinationis Sacerdotalis statuentes duas Materias ac Formas partiales. Unam, quā potestas consecrandi confertur per traditionem calicis cum vino & patenæ cum pane, & verba, *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo*, *Missusque cele-*

*brave tam pro vivis quàm pro defunctis, in Nomine Domini*, secundum Concil. Florent. in *Decreto Fidei §. Sextum*. Alteram, quā peccata remittendi, sive Sacramentum Pœnitentiæ administrandi potestas confertur per impositionem manuum Episcopi & verba, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiservis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueris retenta sunt*, secundum Joan. *cap. 20. V. 22.* & Trident. *Sess. 14. de Pœnit. cap. 1. §. Dominus autem*, Bellarminus de *Sacram. Ord. cap. 12.* Vasquez in *3. p. disp. 239. cap. 3. cit. Laiman cap. 5. n. 2.* Palao *Tract. 27. disp. unic. p. 4. n. 7.* Gobat *tract. cit. n. 117.* Gonzalez in *c. fin. de Sacram. non iter. n. 6.* & alii, qui eam manuum Episcopaliū impositionem Sacramentalem, sive de Ordinationis sacerdotalis substantia esse, docent contra Hostiens. in *c. Unic. cit. n. 5.* Panormit. in *c. fin. cit. n. 2.* Sylvestrum *V. Ordo. n. 11.* Sotum in *4. disp. 24. q. 1. art. 4. conclus. 7.* & alios relatos à Fagnano in *c. fin. cit. n. 31.* cum illam Sacramenti istius solennitatem solummodo accidentalē esse, *an. 10.* latè propugnasset.

33. Quarto in consecratione Episcopi, quæ sacro Chrismate, ex oleo & balsamo confectò, in capite & membris sive manibus fit, *e. Unic. cit. pr. §. Ad exhibendum*. In illo; ut Episcopi, tanquam Ecclesie Capitis & Principis, Deique in terris vicaria potestas declaretur: in istis verò; ut ejus dignitatem non otiosam sed negotiosam & ad operandum bonum ad omnes, maximè domesticos Fidei, institutam denotetur, *Barbosa de Offic. Episc. p. §. tit. 1. cap. 5. n. 10. §. 12.* Atque hæc unctio adeò necessaria est, ut casu, quò per errorem vel ignorantiam incautè omissa fuit, eam cautè suppleri voluerit Innocent. III. *c. Unic. cit. pr.* Unde

S s s

Dubium

34. Dubium oritur, an Chrismatica unctio sit de substantia consecrationis Episcopalis; illam enim ad istius substantiam pertinere, sustinent Isambertus 3. p. de Sacram. Ord. disp. 3. art. 4. Medina de Continent. cleric. lib. 1. cap. 17. Franc. Sylvius 3. p. q. 40. art. 5. & nonnulli alii. Moventur primò autoritate Innocentii III. unctioem illam in Episcopi Ordinatione *Ex praecepto Divino & Apostolorum exemplo* adhiberi, disertè asserentis, c. *Unic. cit. pr.* ut habet plena lectio à Gonzalez relata, non obscurò argumentò, eà constitui substantiam consecrationis Episcopalis. Secundò; quia Episcopus *Consecratus* non ante, & statim dicitur, postquam sacro Chrismate est perunctus: ante unctioem autem in capite & manibus receptam *Electus* nuncupatur in Pontificali Rom. *Tit. de Consecrat. electi in Epis.* Tertio; quia verba, *Accipe Spiritum sanctum*, quibus in manuum impositione Latina siue Occidentalis Ecclesia utitur, sunt valde generalia, & non satis exprimunt effectum Consecrationis Episcopalis: nisi unctio Chrismatis accedat; ut ad eam, hanc quoque ad consecrationis illius substantiam pertinere, sit necesse.

35. Sed verius & pene certum est, Episcopalis consecrationis Materiam esse solam manuum Episcopaliū impositionem: Formam autem verba illa, *Accipe Spiritum sanctum*, ab Episcopis manus imponentibus prolata; ac proinde Consecrationis illius substantiam haberi, Chrismaticā unctioe feclusā, ut cum Glossa in can. 1. *V. Tertia disp. 75.* Sylvestro *V. Ordo 2. n. 4.* Majore in 4. *disp. 24. q. 1.* Saa *V. Ordo n. 7.* & aliis præcipui nominis T. T. defendunt Henriquez *Lib. 10. cap. 7. n. 3.* Valquez 3. p. *disp. 240. cap. 5.* Laiman *Traçt. cit. cap. 5.*

n. 1. Diana p. 12. *traçt. 1. resol. 17. q. 18.* Palao *Traçt. cit. disp. unic. p. 4. n. 1.* & Gonzalez in c. *Unic. cit. n. 5.* Ratio, quā moventur palmaris est; quòd unctioem illam ad consecrationis Episcopalis substantiam non pertinere, luculenter doceat nota praxis Ecclesie Orientalis, consecrationem illam, Chrismaticā unctioe omisā, peragentis impositione manuum & pallii super caput consecrandi: sicut contrà in Occidentali Ecclesia, omisā impositione pallii, pergitur manuum impositione cum Chrismatica unctioe, luculentò indicio, neque impositionem pallii in Orientali, neque in Occidentali Ecclesia unctioem illam ad Ordinationis Episcopalis substantiam pertinere; sed ejus ritus esse solòmodo accidentales; ac proinde ejus Ordinationis seu Consecrationis Materiam esse solam manuum Episcopaliū impositionem; quòd Consecrationis Episcopalis substantialia adhibeantur in Ecclesia utraque, & rituū, quibus utraque utitur, diversitas merè accidentalis, non substantialis.

Confirmatur hæc ratio, & propositæ Consecrationis Materiam manuum Episcopaliū impositionem, non eam unctioem esse, desumitur impernis ex verbis Apostoli, *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* 1. *Timoth. cap. 4. v. 14.* ubi per *Prophetiam*, hoc est, verba, *Accipe Spiritum sanctum* tanquam Formam, impositioni manuum presbyterii, hoc est, presbyterorum siue Episcoporum tantquam Materiam accedentem, gratiam quæ Ordinationis Episcopalis effectus est, illa unctioe conferri, perspicue habetur: non minus liquet ex illo ejusdem facti Gentium Doctoris, eundem Episcopaliū

loquentis, *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, qua est in te per impositionem manuum mearum*, 2. *Timoth. cap. 1. v. 6.*

Deinde ex Concilii Antiocheni *can. 10.* & *can. 17.* cuius tenor est, *Si quis Episcopus per manuum impositionem Episcopatum acceperit*; quò canone utròque, & Concilii Carthaginensis IV. de Episcopi ordinatione agentis, *can. 2.* relatò *can. Episcopus 7. dist. 27.* cum ulla mentio non fiat unctionis: istiusque, cum de illa agit, etiam non meminerit Dionysius Areopagita de *Hierarch. Eccles. cap. 2.* unctionem Chrismaticam de Sacramenti sive Ordinationis Episcopalis substantiã non esse, insinuat.

38. Demum inde etiam; quòd, cum sola manuum Episcopali impositio cum verbis, *Accipe Spiritum sanctum*, ab Episcopo consecrante eique assistentibus Episcopis cum debita intentione prolatis, optime significant Sacramenti sive consecrationis Episcopalis effectum, scilicet plenitudinem gratiæ, quæ cum Episcopali potestate consecrato confertur, & illaplum Spiritus sancti, per sacros textus *cap. 1. v. 6. cap. 4. v. 14. cit.* & Concil. Trident. *Sess. 23. de Sacram. Ord. cap. 3.* sola impositio manuum & verba illa, cum debita intentione prolata, Sacramenti istius substantialia: unctio verò Chrismatica ritus solummodo accidentalis sit.

39. Neque, istius quoque ritum esse substantialem, evincit Autoritas Innocentii III. partim; quia Papa iste unctionem Chrismaticam de Ordinationis Episcopalis substantia non esse, non obscure insinuat, dum ipsò *c. Unici cit. principio* eam omisam non iterari, sed solummodo suppleri iussit, manifestò indicio va-

loris consecrationis; cum, si unctio illa de substantia fuisset consecrationis, istam tanquam omnino invalidam, omnibus substantialibus denuo adhibitis, iterari oportuisset, *arg. can. Solemnitates 16. dist. 1. de Consec. c. 1. & c. fin. de Presbyt. non baptiz. Hostiens. in c. Unic. cit. n. 5. Sylvelter V. Ordo 2. n. 10. Sotus in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. §. Hinc sit. Vivianus in c. 1. & c. fin. de Sacram. non iter. & aliis relatis Fagnanus in c. fin. cit. n. 11.* partim verò; quia præceptum Divinum, ex quo proposita unctio sacra originem trahit, est Testamenti veteris, quò Deus Moyse præcepit, ut Aaron & Filios ejus ungeret in sacerdotes, *Exodi cap. 29. v. 7.* Quod veteris Legis præceptum, cum Cæremoniale fuerit, Christi morte expiravit, *c. Translato 3. de Constitut. licet*, quod Typicum sive novæ Legis præfigurativum & Evangelicæ veritati contrarium non fuerit, ab Ecclesia ejusque rectoribus Apostolis potuerit resuscitari, & istorum exemplò in Episcoporum consecrationibus tanquam ceremonia accidentalibus adhiberi ac præscribi, *Gonzalez in c. Unic. cit. n. 6.*

Minorem vim habet argumentum desumptum ex Pontificali Romano; quia hoc præsentis controversiæ se immiscere non intendit: eaque de causa, ne DD. circa Episcopalis Ordinationis substantialia dissidentium, ulli Opinioni præjudicaret, *Consecrati* appellationem Episcopo non tribuit, antequam is pro tali omnium calculò haberetur: sicut post omnes ejus consecrationis ritus peractos habetur.

Neque admodum urget postremum; quia per verba, *Accipe Spiritum sanctum*, cum illa trium manuum Episcopali super consecrandi caput impositione prolata, per ordinationem collata abundantia gratiæ Spiritus sancti & Spiritu-  
potesta-

potestatis excellentia abunde denotatur. Si, quemadmodum in Ordinationibus ceteris, sic etiam in Episcopali consecratione Materia Remota & Proxima consideretur, satisfaciens Bonacina, pro Remota ipsas manus Episcopales, & istarum super consecrandi caput impositionem pro Proxima Materia assignans, *disp. 8. de Sacram. q. unic. p. 3. n. 10.*

## ARTICULUS IV.

## De Extrema, sive infirmorum Unctione.

## SUMMARIUM.

40. Ratio nominis,
41. Et notabilis effectus hujus Sacramenti,
42. A Christo Domino cum Penitentia Sacramento instituitur.
43. Materia ejus Remota est Oleum benedictum:
44. Cui non benedictum quantitate minori,
45. Non majori admisceri, salva benedictione, potest.
46. Oleum novum in Extrema Unctione est adhibendum.
47. Materia Proxima est unctio in quinque sensibus.
48. Non tamen necessarium in omnibus, nisi ex precepto Ecclesie.
49. Forma sunt verba, Per hanc Sanctam Unctionem &c. indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.
50. Quae saltem virtualiter deprecatoria esse, est necesse.
51. Subiectum est homo baptizatus, ad mortem infirmus,
52. Et aliquando usus ratione.

53. Sacramenti hujus recipiendi per se nulla,
54. Per accidens saepe obligatio est,
55. Ejus minister est presbyter parochialis.
56. Non alii sacerdotes, seclusa delegatione ac necessitate.
57. Id petentibus infirmis ministranda obligatio gravis est:
58. Nisi justa causa excuset.

**Q**uinta unctio Extrema nuncupatur, quae fidelibus tantum infirmis, in extremo vita termino vel periculo continuis, confertur, *c. Unic. §. Prima*, juxta Apostolicum illud, *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, & versus super eum, ungentes oleo in nomine Domini: & Oratio fidei salvabit infirmum & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei*, Jacobi cap. 5. v. 14. & 15. quibus verbis Apostolicus complexus est hujus Sacramenti effectum: cum per se principaliter quidem conferat gratiam habitualem, secum trahentem auxilia & gratias praeventivas, quibus aegroti animus alleviatur ac roboratur, ad morbi molestias ac labores levius tolerandos, & fortius resistendum tentationibus demonis calcaneo infidiantis; minus principaliter vero tollat reliquias peccatorum: & venialium, imò per accidens aliquando (quando scilicet cum sola attritione Sacramentum hoc suscipitur ab eo, qui peccati mortalis nondum expiati immemor, aut ejus quidem immemor est, sed contritum se credit, cum solum sit attritus) mortalium remissionem, ac demum corporis, si saluti animae expedierit, sanitatem operetur, Suarez 3. p. disp. 41. s. 1. n. 11. & 12. Valentia Tom. 4. disp. 8. q. 1. p. 3. & Gabriel Tract. 26. disp. unic. cap. 5. n. 5. & Gabriel Est.



bat *Experient. tract. 8. à n. 909.* id etiam defuentes ex S. Synodi Trident. *Sess. 14. cap. 2. & can. 2. de Extrema Unct.*

42. Est ergo Unctio hæc Novæ legis Sacramentum, ad salutem mentis vel etiam corporis per unctionem olei & orationem Sacerdotis homini ægrotanti & vitâ periclitanti conferendum, à Christo Domino ordinatum, ut colligitur imprimis ex sententia Apostoli recitata, ubi verba, *In nomine Domini* idem denotant, quod secundum ritum à Christo domino institutum: sicut fideles *In nomine JESU Christi*, hoc est, secundum ritum à Christo JESU institutum, baptizati dicuntur *Act. cap. 10. v. 48. & cap. 19. v. 5.* Innocent. I. *Epistol. ad Decentium Eugubinum Episc. cap. 8.* & Coninck *Tom. 2. disp. 19. dub. 1.* Deinde ex traditione & praxi Ecclesiæ, tam Orientalis quàm Occidentalis. Demum ex Conciliis Oecumenicis Florent. in *Decreto Fidei §. Quintum* & Trident. *Sess. 14. cap. 1. can. 1. & 2. de Extrema unct.*

De tempore institutionis variant D. D. &, licet aliqui Sacramentum hoc à Christo institutum existimârint, quando Apostoli ab eo ad prædicationem Evangelii missi sunt; post hæc enim *Ungebant oleo multos & sanabant*, Marci *cap. 6. v. 13.* Verisimilius tamen hoc loco Extremæ unctionis Sacramentum solummodo adumbratum sive, ut *cap. 1. cit. S. Synodus* loquitur *insinuatum*: institutum autem est post gloriosam Resurrectionem, Joan. *cap. 20. v. 22.* quò tempore perfecte institutum est Sacramentum Pœnitentiæ, cujus extrema Unctio est consummativa; cum hanc conferendi potestas peccata remittendi potestatem supponat; ut adeò utrumque Sacramentum simul institutum, cum S. Chrystomo *Lib. 3. de Sacerdotio* post pr. & Origene *Homil. 2. Numer. rectè doceant Suarez 3. p. disp. 39. f. 2.*

*num. 5. & Laiman Lib. 5. tract. 8. cap. 1. n. 2.*

Materia ejus Remota est Oleum olivarum, ab Episcopo benedictum, Concil. Florent. *S. Quintum* & Trident. *cap. 1. cit.* seclusâ Apostolicâ commissione vel privilegio; cum, sicut Chrismatis, sic & Olei infirmorum benedictionem simplici sacerdoti committi à Papapossè, cum Cajetano *2. 2. q. 72. art. 3.* & aliis tradant Bonacina *de Sacram. disp. 7. q. Unic. p. 2. v. 3.* Barbosa *de Offic. Parochi cap. 22. n. 24.* & novissimè Illung *Theolog. Practic. tract. 6. disp. 7. n. 2.* quòd ejus benedictio de facto à sacerdote simplici peragatur in Ecclesia Orientali,isque istî<sup>9</sup> mos à Clemente VIII, approbatus sit in Instructione de Ritibus Græcorû, relatâ ejus *Constitut.* quæ incipit *Sanctissimus edita 31. Augusti 1595.* Ubi

Dubium est, an istius Sacramenti materia sit oleum non benedictum, quando admiscetur oleo benedicto. Qua in re interest, quâ quantitate non benedictum admixtum sit benedicto; nam primò, si quantitate minori v.g. duobus uncis benedicti una non benedicti admixta sit, totum oleum benedictum censetur, c. *Quod in dubiis 3. in fine de Consec. Ecclesi.* Ratio est; quia magis dignum ad se trahit id, quod minus dignum est; ac proinde olei benedicti quantitas major ad se trahit minorem quantitatem non benedicti, arg. *l. Que religiosi 43. ff. de R. V. Gloss. in c. cit. V. Consecraturum*, & huic suum effectum communicat, si major benedicti quantitas sit. Secundo, si olei benedicti minorimajor aut æqualis quantitas non benedicti affusa sit, non solum hoc benedictum non evadit: sed id etiam, cui affusum est, benedictionem amittit. Ratio est; quia major pars seu quantitas non trahitur ad formam partis minoris, sed vice versa potius minor pars

nor pars trahitur ad formam majoris. Neque refert; quod minor sacra & benedicta dignior sit; quia ab hoc minus dignum ad se trahitur iis solum casibus, quibus dignioris virtus naturalis est major; cum si, ut Sylvester *V. Aqua n. 3.* rectè arguit, à magis digno ad se minus dignum traheretur indiscriminatim, olei vel aquæ benedictæ guttæ unicæ, non benedictæ vasi integro benedictionem communicandi vis adstruenda foret: quod quàm absurdum sit, nemo non videt. Tertio, si oleo benedicto major quantitas non benedicti, non simul, sed successivè & ex intervallo ita admisceretur, ut eodem tempore affusi & permixti quantitas benedicto, cui admiscetur, minor semper sit, illud tanquam minus dignum ad se trahetur à digniori, *arg. l. cit.* Sicut in simili Ecclesiam, cujus partes successivè omnes destructæ ita sunt, ut semper pars Ecclesiæ major stet, totam consecratam cenferi novæque consecratione opus non esse, *Lib. 3. tit. 40. n. 24.* statuetur. Atque ita cum Sylvestro *cit. n. 3.* dubitationem hanc resolvunt Azor *p. 2. Institut. lib. 9. cap. 15. q. 6.* Diana *p. 1. tract. 3. resol. 15.* Barbosa *in c. cit. n. 5.* Gonzalez *ibid. n. 1.* Gobat *Experient. tract. 8. n. 786.* & Pärching *ad Rubr. de Consec. Eccl. n. 9.*

Neque huic & primæ resolutionis parti adversatur; quod in sanguinem Christi non convertatur vinum non consecratum, in minori quantitate admixtum consecrato; quia inter Consecrationem vini & olei vel aquæ benedictionem latum est discrimen; cum Consecratio inducat immutationem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi: non etiam benedictio olei vel aquæ per preces Ecclesiæ: quarum precum & orationum vis ex dispositione Ecclesiæ etiam ad oleum & aquam puram postea admixtam

minori quantitate porrigitur, *Quod in dubiis cit.* licet consecratio ex institutione divina non nisi circa materiam ei præsentem & quando verba physice præferuntur, operetur, ut cum S. Thoma *3. 2. q. 77. art. 8.* advertunt Suarez *3. p. disp. 54. s. 2.* & Lugo *de Eucharist. disp. 10. s. 3. n. 41.*

Quare, si oleum consecratum pro aliquo anno non sufficere, parochus advertens, illi non consecratum, sed minori quantitate admisceret, ita mixtum, quod totum consecratum evadat, in extremis necessitatibus adhiberi ab eo posse, præter alios docent *cit.* Barbosa *cap. 22. n. 26.* & Gobat *à n. 786.* apud quem videtur Marchant. *Pastoral. resol. tract. 4. de Sacram. cap. 4. in fine.* de mixtione successivè iterata non parum ambigens, piscopos obsecrat, ut oleum sacrum maxime infirmorum in majori quantitate distribuant; ne incauta mixtione Sacramenti materia dubia evadat.

Oleum etiam novum, sive eodem benedictum, in infirmorum intentionibus adhiberi ex traditione Apostolica Fabianus Papa præcepit *can. Litterar. disp. 3. de Consec.* nisi aliud exigat necessitas; hæc enim urgente, vetere oleo, donec novum ab Episcopo petitum transmittatur, inungi morituros posse, censent *cit.* Laiman *cap. 2. n. 4.* & Barbosa *n. 35.*

Proxima hujus Sacramenti Materiam est Unctio olei benedicti, Jacobi *cap. cit. p. 14.* Concil. Florent. *§. Quintum* & Trident. *cap. 1. cit.* quæ, ut cætera Sacramenta sub forma crucis, *can. Novum quid 10.* junctâ Glossâ *V. Nisi crucis.* *lib. 5. de Consec.* & in quinque sensibus, sicut secundum *§. Quintum cit.* in septem corporis partibus, videlicet in oculis, auribus, naribus, in ore, in manibus, pedibus & renibus fieri debet: ex quibus renibus unctio in feminis semper, & ferme etiam in Bal-

in Religiosis omittitur ob decentiam & honestatem. Locū pedum etiam alicubi pectus inungi testatur *cit.* Gobat n. 792. Quinque autem sensuum aut vicinarum ipsis partium inunctionem semper & ubique ipsius Sacramenti necessitate adhibendam, sententia est frequentiori DD. calculo approbata & communi Ecclesie usu præcipue fulta: cui & DD. auctoritati licet multum tribuant, & unktionum quinarium, quando absque gravi salutis periculo potest, semper adhibendum asserant, ad valorem tamen Sacramenti non omnium, sed alicuius saltem sensus seu corporis partis, unktionem sufficere, non solum probabile, ut cum multis magni nominis TT. vult *cit.* Gobat n. 794. sed probabilius esse, cum nonnullis aliis censeat Illfung *cit. disp. 7. n. 4.* quod totius unktionum quinarii necessitas neque ex initio recitatis Apostoli verbis, neque ex Conciliis, neque efficaci ratione evincatur: ex Ecclesie autem praxi plus, quam omnes quinque sensus aut ex singulis duplicatis saltem unum ungenti gravis obligatio, non desumatur. Quin apud laudatum Gobat quatuor Germanie nostrae diocesum usu receptum, earumque Pastoralibus, præsertim Mechliniensis *cap. 9.* expressum est, in morbis valde contagiosis & peste grassante unum saltem sensum magis expositum inungendum, adhibitis verbis, *Per istam sanctam unktionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & incessum, Amen.*

49. Forma sunt jam relata verba, in singulorum sensuum inunctionibus repetita, ut in singulis ejus duntaxat, qui actu inungitur, sensus nomen exprimitur, §. Quintum *Cap. 1. cit.* ex quibus ea saltem verba, quibus denotatur unctio cum deprecatione, ut infirmo peccata à Deo

remittantur, ad extremæ unktionis substantiam pertinere, ait *cit.* Gobat n. 800. Illfung autem pro substantialibus ea solum habet, *Per unktionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti;* ut piissimæ Dei misericordie, & singulorum sensuum sive organorum inunctorum expressio de solius præcepti necessitate adhibeatur, Dissentit & expressionem illorum essentialiam esse, ait Palao *Tract. 26. disp. unie. p. 5. n. 4.*

Dubium & controversia est an ad 50. hujus Sacramenti essentiam pertineant verba Deprecatoria: cui aniam præbet praxis Ecclesie Mediolanensis, utentis hæc Formâ, *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut move militis uncti preparatus ad certamen aëreas superare possis potestates:* cui similis Forma refertur in *Libro Sacramentali Venetorum à Leone X. approbato.* Unde *cit.* Suarez *disp. 40. f. 3. n. 8.* pro valida etiam habet formam, *Ungo te oleo sancto, ut Deus tibi remittat, quidquid deliquisti;* & verba Deprecatoria non Sacramenti, sed Præcepti solius necessitate adhibenda, veteres quidam existimant, contra S. Thomam in *4. dist. 28. q. 1. art. 4. quaestione. 2. ad 3.* & præcipui nominis TT. alios, S. Doctorem secutos: quorum in speciem pugnantem Opiniones in concordiam facile reducuntur, si ad Sacramenti valorem necessaria dicantur verba Deprecativa, vel formaliter ut sunt, *Per hanc sanctam unktionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti;* vel saltem virtualiter & quoad mentem sensumque proferentis, ut sunt, *Ungo te, ut indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti,* vel *Ungo te, ut preparatus ad certamen superare valeas aëreas potestates* & quia hæc ex mente proferentium Deprecationis, sive Orationis ad Deum directæ vim habent: uti & ex usu Ecclesie Deum in Missæ Oratione

Secreta

Secreta ita deprecantis, *Laudis hostias immolamus, quibus & presentibus exui malis confidimus & futuris, & sacrificium laudis offerimus, ut propitius exequaris &c.* Quod autē verba aliquō modo Deprecatoria exigantur, planē liquet ex Apostolico illo, *Orent super eum, v. 14.* & usu Ecclesiæ, ab Oecumenicis Conciliis §. & cap. 1. *citt.* approbatō.

- Subiectum hujus Sacramenti est homo viator, baptizatus, ratione aliquando usus, & constitutus in infirmitate lethali, sive ista ex vulnere aut veneno, sive ex naturali & accidentario quocunque morbo proveniat: in quo statu constitutus Sacramentō hōc muniri potest, quoties post ejus susceptionem valetudine recepta in simile vitæ discrimen reciderit, ex Decreto S. Synodi Trident. *Sess. 14. cap. 3.*
51. Quamobrem extrema unctio deneganda non est senibus, ad mortis articulum deductis ipsā & solā senectute; quod ista quoque morbus sit: neque pueris usum rationis habentibus sufficientem ad peccandum & capacibus Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ: neque etiam furiosis & amentibus, qui rationis usum aliquando habuerunt, & Christianè vixerunt, ut Sacramentum hoc saltem interpretativè desiderārint: sicut id desiderāsse præsumuntur, qui ex repentino morbo, vulnere, casu, omni sensuum usu sunt destituti, ut id externā aliquā actione vel signō petere non possint, Barbofa *de Offic. parochi cap. 22. à n. 12.*

Concedenda tamen hæc unctio non est perpetuō amentibus, neque iis etiam, quos ante amentiam in peccatum mortale vel excommunicationem incidisse, notorium esset: neque etiam passis sententiam capitalem, interituris naufragiō aut externā vi inferendā morituris, ut ex communi DD. sensu advertit *citt.* Laiman *cap. 4. n. 3.*

Dubium est de hujus Sacramenti recipiendi obligatione: quam per se cum S. Thoma in *4. disp. 13. art. 1. q. 3.* non agnoscat Navarrus *Manual. cap. 2. n. 16.* Covarruv. in *c. Alma p. 2. §. 2. n. 6. citt.* Suarez *disp. 44. s. 1. n. 1.* Laiman *cap. 7. n. 1.* & cæteri TT. vix unō aliorūve dissentiente; quod, licet multum conducens, necessarium tamen ad saluum remedium non sit: & de ejus receptione præceptum Divinum aut Ecclesiasticum non extet; cum supra relata Apostolica verba & Conciliorum de eo decreta de Mandatō latē, pro quavis ordinatione superioris sumptō & consilia quoque complectente, valeant exaudiri. Contra tamen, quia, si sacra istius unctio receptio infirmis præcepta esset, procul dubio Ecclesiastici interditi tempore fidelibus petentibus ministrari non prohiberentur, *c. Quod in re 11. de Penit. & remiss. de re. §. ceteris de Sent. excom. in 6.* Per accidens tamen à venialis culpæ reatu communis verisimilius non esset, qui à Christo Domino institutum, in Ecclesia usitatum saluberrimumque hoc salutis præsidium in periculosissimo agone suscipere, cum posset commode, sine rationabili causa omitteret, *citt.* Suarez *l. n. 4. Laiman n. Palao p. 8. n. 2.* & Gobat *n. 8. 18.* à lethali culpa vix, & ne sic quidem, excusantes omissionem, procedentem ex contemptu, vel grave scandalum generantem, factissime ab eo, qui mortalis peccati confictus aliud Sacramentum recipere non possit: vel, sine ejus præsidio demonis animæque insidiantis tentationes non superandas, certō sibi persuaderet.

Minister Extremæ unctiois Sacramenti est presbyter, secundum Apostolicum illud, *Infirmatur quis in vobis, nō ducat presbyteros, v. 14. citt.* quō nomine non seniores aut primores in populo sed, vel Episcopos, vel ab his ritē ordinatos Sacra-

tos Sacerdotes intelligi, S. Synodus Tridentina declaravit *cit. Sess. 14. cap. 3. & can. 4.*

56. Esto autem validè, Sacerdos quilibet, licitè tamen Sacramentum hoc infirmo non ministrat, nisi jurisdictionem in istum ordinariam, ut proprius Episcopus vel parochus aliùsve similis curatus, vel ab illorum aliquo delegatam ullavè censurà Ecclesiasticà non impeditam habeat, adeò; ut Sacerdotes seculares alii & curati extranei, extra casum necessitatis, sine licentià ab illis accepta, vel ex secutura ratihabitione rationabiliter præsumpta infirmo Sacramentum hoc ministrare præsumentes, graviter peccent: Regulares verò, id secularibus clericis aut etiam laicis, extra casum illum, sine speciali licentià ministrantes, excommunicationem seclis Apostolicæ absolutioni reservatam ipsò factò incurrant, *Clement. 1. de Privileg. Secularibus*, inquam; quia Religiosis, tam clericis quàm laicis, & novitiis suis, imò etiam secularibus monasterio intra ejus septa servientibus, pauperibus hospitali suo receptis & similibus, quoties necessitas fuerit, Extremam unctionem ministrare Regulares permittuntur vi privilegiorum Apostolicorum, prout de Societate JESU habetur in ejus Privilegiorum Compendio *V. Familiarses §. 1. & V. Extrema unctio* & ostendit Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 4. à n. 9.* de aliis verò Religiosis tradunt Tambur. *Tom. 2. de Jure Abbat. disp. 7. q. 3. & Gobat cit. tract. 8. à n. 867.* cujusmodi privilegii *Clement. cit.* non obtinere, liquet ex ejus *pr. & sine.*

17. Parochi autem & curati alii subditis suis infirmis sacram hanc unctionem ministrare ratione officii ex Justitia tenentur; ut, qui illorum alicui hanc petitam sine justa causa denegaret, vel etiam differret, quando periculum est, ne eà non

munitus decedat, graviter peccaret; quòd, licet Sacramentum hoc absolutè non necessarium, utilissimum tamen sit: parochi verò iisque similes curati ad remedia non solum necessaria, sed valde utilia quoque, à Christo Domino instituta & Ecclesiæ generali usu recepta, fidelibus sibi subditis petentibus ministranda ex Justitia obligentur, *cit. Suarez disp. 44. f. 2. n. 1. Laiman cap. 7. n. 3. & Palao p. 8. n. 4.* Alii etiam Sacerdotes, proprio parochò absente, vel subdito suo petenti Sacramentum hoc ministrare recusante, ejus vices supplere eò saltem casu ex Charitate tenerentur, quò infirmus nullum aliud Sacramentum recipere posset; quòd in mortis articulo ita constitutus Extremam unctionem graviter indigere præsumatur; cum ex illius ministracione fortè pendeat salus ejus æterna, *Laiman cit. n. 3. in fine, & Palao n. 4.*

Causam autem, extra casum hunc, 58. Extremam unctionem infirmo denegandi vel differendi justam ipse etiam parochus verisimilius haberet, si, quod rarò, aliquando tamen evenire potest, epidemicæ lue grassante, illa infirmo, adhibita etiam omni cautelâ, ministrari non posset sine morali periculo infectionis: & non esset, qui ipsius deficientis in Sacramentorum ad salutem necessariorum ministracione vices subiret, itaque ea cæteris parochianis subtraherentur, *cit. Suarez f. 3. n. 20. & Palao n. 5.* Hactenus de Sacramentalibus. Nunc

### ARTICULUS V. De Imperatoria & Regia Unctione.

#### SUMMARIUM.

59. *Ad exemplum Veteris in Nova Lege Imperatores,*  
Tit 60. Roma-

60. Romanorum alique Reges oleo un-  
guntur,  
61. In dextro brachio seu humero;  
62. Eaque unctione quodammodo sa-  
crantur.  
63. Gratiam tamen Sacramentalem  
64. Aut Subdiaconatus vel alium Ordini-  
nem non accipiunt.  
65. De unctione Ecclesie, Altaris &c.

59. **S**exto, Sacra Unctio adhibetur in Im-  
peratoris Romanique & aliorum  
Regum inauguratione & corona-  
tione, c. *Unic. §. Unde*; sic enim in  
Veteri Testamento à Samuele Saul in ex-  
trema parte civitatis, 1. *Reg. cap. 10. v. 1.*  
& David in domo patris sui in Bethlehem,  
1. *Reg. cap. 16. v. 13.* Salomon à Sacer-  
dote Sadoc in Gihon, 3. *Reg. cap. 1. v. 39.*  
Jehu à filio Prophetæ seorsim in cubiculo,  
4. *Reg. cap. 9. v. 6.* & alii Reges inuncti  
alibi perhibentur. Sic in Gratia nova  
60. Lege Occidentalis sive Romanorum Im-  
perator in coronatione à summo Pontifi-  
ce, c. *Per venerabilem 34.* ibi *Nos eum in*  
*Imperatorem inungimus, coronamus &*  
*consecramus, de Elect. & Clement. 1. de*  
*Jurejurando*, velex ejus commissione ab  
Hostiensi aliòve Episcopo, Hostiens. in  
*Summa hic n. 8.* hodie verò in Germania ab  
Electore Colonienfi vel Moguntino, Her-  
mes *Fascicul. Jur. publ. cap. 10. num. 4.*  
Orientalis verò sive Græcorum Impera-  
tor à Patriarcha Constantinopolitano in-  
ungi consueverunt, Codinus *de Offic. Do-*  
*mus Constantinopol. cap. 27. de Coronat.*  
*Imper.*

Idem, qui Imperatorem, etiam Re-  
gem Romanorum, & novissimè Jose-  
phum Augustum, nunc Augustissimum  
Imperatorem, Augustæ Vindelicorum  
coronatum Elector Moguntinus inunxit:  
Regibus verò cæris in coronatione id  
præstant Archiepiscopi alii; nam Gallia

Rhemenfis, Hispania Toletanus, Anglia  
Cantuariensis, Hungaria Strigoniensis,  
Polonia Gnesnensis, Bohemia Prago-  
sis, alios Reges alii Archiepiscopi inun-  
gere & consecrare consueverunt, Her-  
mes *cit. cap. 10. anum. 5.*

Ea autem Imperatorum Regumque  
unctio non, ut Episcoporum, in capite  
neque in manibus, ut Sacerdotum: sed  
in brachio dextro sive humero, parte to-  
tius humani corporis post caput præcipua  
olim aliquando Sacro Chrimate, hodie  
fere oleo Catechumenorum peragi solent,  
ad significandam inunctorum dignitatem  
& principatum temporalem supremam  
juxta illud, *Factus est principatus super li-*  
*merum ejus, Isaia cap. 9. v. 6.*

Porro, licet hæc unctionis ceremo-  
nia ad Imperatoris Regiaque coronatio-  
nis substantiam pertinere existimetur,  
pud *cit. Hermes n. 9.* Sacramenti ratio-  
nationem, & Sacramentalem gratiam &  
spiritualem potestatem conferendi non  
non habet. Inunctos tamen quodam-  
modo consecrat; ut ipsis specialiter par-  
ticipatus ad Altare, quod cæteris laicis denegatum  
est Synod. Trullana *can. 77.* &  
Moguntina *relata c. 1. de Vita & benepl.*  
*cleric.* Imperatori etiam post receptionem  
unctionem communionem sub utraque  
specie, præcipue in die inaugurationis &  
mortis articulo permissam, Clementis VI  
*Constitut. allegatâ* notat Gonzalez *in*  
*Unic. cit. n. 20. in fine.* Ab eadem un-  
ctione Sacra Imperator *Sacratissimus, Ro-*  
*ges Sacri* vel *Sacra*, & istorum *Sacra-*  
*illius verò Sacratissima Majestas* appella-  
tur, Azor *p. 2. Institut. lib. 10. cap. 1. §. 1.*  
*in fine.*

Neque, Imperatori unctione illa Sacra-  
mentalem gratiam aut spiritualem in  
Ecclesia potestatem conferri, persequitur  
quod Subdiaconali veste indutus factus  
peranti summo Pontifici inserviat in no-  
ste Nati-

de Natalis Domini: & si præiens in Urbe sit, in Officio matutino lectionem VII. sub Evangelio, *Exiit editum à Casare Augussto*, publicè decantet: imò à Canonicis S. Petri & S. Joannis Lateranensis Romæ, & à variis Ecclesiis in Germania in Canonicum recipi, perhibeatur à Castaldo de Imperat. cap. 29. n. 4. cit. Azor q. 3. in fine & Herm. n. 10. Unde, unctione & consecratione Imperatoriâ sacrum Subdiaconatus Ordinem conferri, vulgi & nonnullorum etiam DD. sed vana persuasio & error est; quia hujusmodi prærogativæ Imperatori specialiter conceduntur, non ratione alicujus Ecclesiastici Ordinis istiusque collatione acceptæ spiritualis potestatis, sed intuitu advocacionis ac defensionis Ecclesiæ, ex proprio munere ipsi competentis. Hinc certè ei, Subdiaconi vel Diaconi more vestito, in manus traditur ensis; ut se non ad Imperii duntaxat Romani, sed Ecclesiæ quoque tuitionem, ad coercionem rebellium Fideique & Religionis Catholicæ hostium debellationem ac profligationem vocatum, intelligat, & unctione Sacra confirmatum.

64. Quare melius Imperatori Ordinem

& Characterem solum militare adstruit Glossa *fin. in can. Valentianus 3. dist. 63.* eumque cum Nicolao Papa *can. Ubi nam 4. Sc. dist. 96.* laicis accensent Panormit. *in c. Per Venerabilem cit. n. 6.* Azor q. 3. cit. & alii; quòd non appareat, quâ ratione Sub-vel Diaconatus Ordo sacer adstrui ei possit; cùm neque conjugatus ad sacrum Ordinem, *c. fin. de Temp. Ordin. in 6. Sc. c. Conjugatus 5. de Convers. conjug.* neque sacro Ordine initiatus ad contractum matrimonialem admittatur, *c. 1. de Cleric. conjug. c. 1. c. Ut literarum 2. Qui cleric. Sc. vovent. Sc. c. Unico de Voto in 6.* compluribus autem post unctionem & consecrationem Imperatoriam contraxisse matrimonium: & post hoc contractum ratumque & consummatum in Imperatores unctos & consecratos fuisse, sit exploratum.

65. Septimè denique, unctio Sacra adhibetur in consecratione Ecclesiæ vel Altaris & benedictione calicis, juxta morem Ecclesiasticum, acceptum à B. Sylvestro, qui altare lapideum consecrans id Christumate perunxisse perhibetur, *Umic. cit. 5. Ungitur: de qua unctio sermo redibit Lib. 3. Tit. 40.*



## TITVLVS XVI.

### De Sacramentis non iterandis.

#### SUMMARIUM.

1. Ratio ordinis.
2. Ecclesie Sacramenta iterabilia sunt:
3. Exceptis iis, quæ imprimunt Characterem;
4. Scilicet Baptismi,
5. Confirmationis,
6. Et Ordinis Sacramentis:
7. Etiam si ista fide suscepta sint.
8. In iis tamen omisus ritus suppletur, si accidentalis:
9. Si substantialis sit, Sacramentum de novo conferunt.
10. Casus

Tt 2

10. Casus